

iam condita erat, vi captum incenderunt, cives omnes ad unum interfecerunt.

Quibus rebus cognitis, Suetonius magnis itineribus regressus, Londinium advenit ; sed quoniam duas tantum legiones secum habebat, id oppidum defendere non potuit. Eo rursus egresso barbari oppidum deleverunt ; incolae ad septuāgintā milia perisse dicebantur, sed hic numerus paene incredibilis est.

Barbari victoriā iam laeti nullo ordine nulla disciplina Romanos secuti in loca difficiliora venerunt. Ibi Suetonius acie in colle instructa hostium impetum exspectavit, et facile eos in fugam vertit. Boudicca, copiis suis superatis, quod maluit libera mori quam capta vivere, sua manu periit.

#### 47. AGRICOLA IN BRITAIN (A.D. 78-84)

*We know much about Agricola, the greatest governor of Roman Britain, because his son-in-law, the historian Tacitus, wrote a biography of him.*

Suetonio successerunt alii legati : mox Cn. Iulius Agricola provinciae praefectus est. Hic quamquam rei militaris peritus erat, pacis magis quam belli artibus provinciam regere voluit. Itaque per eas insulae partes quae iam erant pacatae iniurias sustulit, onera tributi aequè distribuit, Romanorum artes, linguam, mores instituit. Multae igitur civitates, quae adhuc libertati studuerant, propter clementiam eius in amicitiam Romanorum venerunt.

Magna tamen pars Britanniae nondum pacata erat. Itaque Agricola Brigantes, gentem barbaram atque saevam, vi et armis superavit, deinde in Calēdoniam\* copias duxit. Tandem ad montem Graupium\* pervenit,

ubi magnae hostium copiae eum exspectabant. Suis pugnam ingressuris talem orationem habuisse dicitur :

‘Septimus iam annus est, milites, ex quo tempore virtute vestra, fidē atque operā mea, Britannos vicistis. Egressi igitur e provincia nunc ad finem Britanniae pervenimus. Saepe in itinere ubi vos montibus fluminibusque impediabamini, fortissimi cuiusque vocem audivi, “Quando inveniemus hostes, quando aciem?” Adveniunt hostes—īdem hostes quos proximo anno, unam legionem nocte aggressos, clamore tantum superavistis. Acerrimi Britannorum iam ceciderunt; manent ignavi et invalidi. Nec fugere debetis: fuga enim neque exercitui tuta est neque duci. Iam Britannia victa pacem Romanam, mores Romanos accepit: haec ultima victoria nostrum imperium per totam insulam confirmabit. Pro re publica et pro vobis ipsis pugnantes maximam virtutem hodie praebete.’

Agricola haec locutus signum proelii dedit. Diu et acriter pugnatum est: tandem Romani magnam victoriam reportaverunt. Mox Agricola Romam regressus provinciam quietam tutamque reliquit. Calēdoniam tamen Romani in potestatem suam redigere non poterant; itaque paucis post annis Hādriānus\* princeps trans insulam, ubi angustissima erat, murum duxit. Hic murus, quem etiam hodie post tot annos videre possumus, trecentos per annos provinciam pacatam a gentibus barbaris dividebat.

#### 45. ‘ULTIMA THULE’

Mos erat Romanis auxilia e gentibus superatis conscribere, atque in alias provincias mittere. Ita cohortes quaedam Ūsiporum\*, gentis Germanicae, Agricolae auxilio mittuntur dum bellum in Britannia gerit. Eo